D. SALOMO CONSTANTINVS TITIVS

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.

ORDINIS MEDICORVM WITTEBERGENSIS

H. T.

DECANVS

ACTVM SOLENNEM

PRO

LICENTIATI MEDICINAE

HONORIBVS

A. D. 4. SEPTBR. 1795.

A

CAROLO GOTTLOB STOEHRER

THVERMSDORFIO MISNICO

MEDICINAE CANDIDATO

H. L. Q. C.

HABENDVM

INDICIT.

Experimentorum Ticinenſium, in quibus Diabeticorum vrina ſub examen vocatur, enarratio cum epicriſi.

PROLVSIO I.

Tractatus physico-chemicos Cl. MARABELLI, nosocomii St[i] Matthaei Papiensis Pharmaceuta, annis proxime elapsis, auctore conscriptos, cum nuper editione germanica in vnum volumen colligerem, (*Physisch-chemische Aufsätze zur Erweiterung der Arzneywissenschaft und Oeconomie, aus verschiedenen italienischen periodischen Werken, und dem eigenhändigen Manuscripte des Verfassers gesammlet, übersetzet &c.* Leipzig 1795. 8.) magnopere laboraui, vt Eiusdem experimenta, quibus vrinam diabeticorum exploraret, huic ipsi volumini insererem, atque hac occasione publici iuris facerem. Sed tum temporis in promtu non habebam. Nunc, vbi copia illorum mihi facta est, vt, ante quam opusculorum continuatio prodeat, discamus, qualis huius vrinae natura sit, venit in mentem, hunc libellum: *Sui principj e sulle differenze dell'orina in due specie di Diabete, confrontata colla naturale*, prolusione academica euulgare, atque rationes eorum, quae per experimenta constant, declarare. Exstat quidem in commentariis eruditis (*Salzburg. Medicin. Chirurg. Zeitung* 1794. *B.* 1. *S.* 113. et *Allgemeine Litteratur-Zeitung* 1795. *n.* 151. *S.* 447.) succincta eorum expositio; nihilominus tamen me inanem suscepturum esse operam haud credo, si haec ipsa tentamina, quae naturam morbi egregie illustrant, non quidem solum latine redderem, sed ea, quae ex iis sequuntur, manifesto eruerem. Etenim, quum repetita vice haec susciperet amicissimus MARABELLI, ego coram fui, atque verissima omnino esse, quae super iis exposuit, partim re ipsa, partim corporibus, per inspissationem vrinae productis, probare possum, quorum quippe haud exiguam partem asseruo: videlicet et materiae saccharaceae impurae, odorem vrinosum spargentis, et veri sacchari, puri, ex vrina educti, et ipsius acidi saccharini inde extricati, aliquot specimina apud me extant. Horum mihi copia quam largissime facta est.

Quod igitur ad scriptionis huius argumentum attinet, accurata morbi diabetis notio, eiusque species proponuntur; tum quomodo

vrina

 

vrina aegrotorum a ſana differat, examine chemico et Cl. MARABELLI, et aliorum fide digniſſimorum virorum, expenditur, denique probabilis de natura huius morbi ſententia ex illis deducitur.

Vrinae effluxus admodum auctus, copiam potus longe ſuperans, chronicus, vires depaſcens, maciemque totius corporis ſubinde efficiens, praecipua diabetis ſigna conſtituunt. Praeter morbi enim diuturnitatem, qua vires ſucceſſiue imminuuntur, ad lotii, tum quantitatem, tum qualitatem, in primis attendendum eſt. Pro diuerſa vrinae qualitate plures diabetis formare ſibi pathologi ſolent ſpecies. Habent inſipidum, dulcem ſiue mellitum et chyloſum. Poſtremus quidem, etſi a nonnullis, iisque fide digniſſimis, obſeruatus ſit, atque ob colorem albidum, emulſioni ſimilem, lacteus, ab admiſto, vt putant, chylo, chyloſus audiat; veram tamen diabetis ſpeciem conſtituere non videtur. Varia enim ſunt, quae hunc colorem efficiunt, vt mucus, materia purulenta admiſta, cuius frequens excretio omnino corpus debilitare debet. Hinc CVLLENIVM ſequamur, qui duas modo diabetis veri ſpecies, alterum mellitum, alterum inſipidum habet. Vtramque tum habitu externo, tum intima partium compoſitione differre, experimentis Marabellianis, auctoritate Ill. FRANKII in inſtituto clinico Ticinenſi ſuſceptis, optime, vt in ſequentibus patebit, comprobatur.

Primo igitur, quid MARABELLI de vrina diabetis melliti obſeruatione et tentamine didicit, ordine expromamus. Aegrotus hic, quem D. RAGGI, Prof. Pathol. Ticinenſ. meritiſſimus, in noſocomio maiori curae habebat, primis, quos ibidem transegit diebus, viginti octo libras huius vrinae dulciſſimae intra diem excreuit. Medicamentorum tamen, aluminis praeſertim, atque tincturae cantharidum vſu, illius quantitas ad tres et quatuor libras intra diei noctisque ſpatium decreuit, ſaporem dulcem ſubinde amiſit, et aegrotus fere ſanatus, tandem lectum reliquit.

Exp. 1. Odor lotii huius recens emiſſi non abſimilis fuit odori iuſculi carnei, in acorem vergentis; color pellucidus, ſubcitrinus, ſedimentum nullum; ſapor vere dulcis, poſtremo paullulum ſalſus et ſtimulans.

Exp. 2. Acidi praeſentiam tum tinctura heliotropii, tum aqua calcis, et haec quidem, cum calx phosphorata ſubſideret, naturam acidi

acidi huius phosphoricam docuerunt. Hoc ipſo aquae calcis connubio, gratus vrinae conciliatus eſt ſapor, et ea quodammodo pars periit, quae primum acri ſtimulo linguam punxit.

Exp. 3. Acida porro mineralia et oxalinum, quemadmodum alcalia tum pura, tum acido carbonario iuncta, nihil in hoc lotio mutarunt, praeterquam quod poſt aliquot dies parum materiae albae, terreſtris, fundum peteret. Quae quidem ſubſtantia omnino, vt infra patebit, peregrina eſt, et terram aluminis conſtituit.

Exp. 4. Solutio mercurii nitroſa exiguam ſediminis albi quantitatem in hoc lotio deiecit, cum eadem ex hominis ſani vrina roſam mineralem ſeparet. Hoc ergo praecipitatum, quod roſae mineralis nomine inſignitur, vix adeo, vt nonnulli ſtatuunt, mercurium phosphoratum et ſalitum ſibi iunctum, ſed aliam potius habere cauſam videtur. Vrina enim diabeticorum dulcis, licet haec duo acida, quamuis minore quantitate, contineat, minime tamen eiusmodi ſedimentum praebet. (Nonne vero in hoc experimento aliquid terrae aluminis tribuendum?) Ex aliis quidem Marabellianis tentaminibus admodum probabile videtur, acidum muriaticum et phosphoratum, ſiue ſali communi, ſiue ſodae phosphoratae, ſiue ammoniaco phosphorato inſit, cum mercurio, in acido nitri ſoluto, nunquam roſeum praecipitatum edere.

Exp. 5. In temperie 18 graduum thermometri Reaum. lotium hoc recens emiſſum, vaſe ad arcendas impuritates tenui charta tecto, poſt duos dies veſiculas copioſas, fluido, gas quod dicunt, carbonario plenas, emittit; idem euaſit turbidum filamentis in medio haerentibus; leuem odorem vinoſum diſperſit, atque motus partium internus manifeſtae, ſenſimque auctae fermentationis, in quam maſſae, acidum ſaccharinum continentes, tendunt, ſigna prodidit. Sapor dulcis iam in acidum abit, acore increſcente ſubinde dulcedo perit; virtus, calcem aqua ſolutam, ſub calcis forma phosphoratae, in fundum demittendi, minuitur tandemque plane ceſſat, cum acidum phosphoricum liberum antea, nunc inuolutum, et quaſi obtuſum, lotio ineſſet. Duodecim diebus elapſis, acidum fermentatione effectum, adeo forte fuit, vt cum alcali vegetabili carbonario inſigniter efferueſceret, quo ipſo momento odor ammoniacalis, antea in lotio recente non obſeruatus, ſentitur. Poſt 24 dies ſenſim minuitur acidum, et manifeſta ineuntis putredinis ſigna



ſubſequuntur; qua, tribus aliis diebus praeterlapſis; finita, vltimum fermentationis ſtadium lotium ſubierat. Ingratiſſimum nunc odorem reddit, tincturam heliotropii non amplius rubefacit, ſed eidem, per acida rubefactae, priſtinum colorem, caeruleum, reſtituit. Sapor nec dulcis, nec acidus, ſed ſalſus atque nauſeoſus. Cineres clavellati, carbonum acorem habentes, odorem ammoniacalem, eumque fortem, et nares torquentem, fecerunt. Qui quidem ex ſalis ammoniaci copia deriuandus eſt, quod ab alcalino ſale, ex lotio ſubinde ſecreto, per duorum acidorum, partim phosphorici puri, liberi (Exp. 2.), partim, per fermentationem acidam, acetoſi, coniunctionem, originem duxit. Materia ſilatim diſtracta, quae fermentationis initio, tum lotio innatauit, tum eidem inhaerens, funditus deiecta, et in materiam mucoſam verſa, aqua ſoluebatur, atque igni expoſita, odore panis aduſti combuſſit.

Exp. 6. Nouem eiusdem lotii librae, ad dimidiam partem igne euaporatae, in balneo arenae ſubinde ad ſyrupi conſiſtentiam redactae ſunt. Sapor nunc admodum dulcis, color oxymelli ſimilis, odor ammoniacalis nullus, conſiſtentia maſſae poſt refrigerium eadem, quin leni et naturali quinque dierum euaporatione, denſior facta, melli grumoſo ſimillima. Ea quidem materia, quinque vncias cum ſeptem drachmis pependit, ſapore dulcis, aqua frigida facillime ſoluebatur, carbonibus ardentibus iniecta intumuit, flammam cepit, ſub combuſtione odorem ſaccharo proprium difflauit, aliasque veri ſacchari crudi proprietates, vlterius explorata, praebuit, ſolo odore, quem ſpirauit, leni ammoniacali excepto. Cum vero pars ſaccharina materia extractiua ſaponacea plane implicata et inquinata videretur, per repetitam cum ſpiritu vini alcoholiſato digeſtionem depuranda fuit. Quo quidem artificio ſaccharum longe dulcius, quam materia ante dicta, omnis odoris ammoniacalis plane expers, et albedine ſaccharo albo, depurato, quod venale habetur, prorſus ſimile, paratum eſt. Vlteriori examine, nulla alia cryſtallorum ſalinarum veſtigia detecta fuerunt; quarum quidem praeſentiam non plane negauerim, ſed ob minorem quantitatem minus comprobata eſt.

Subſiſtendum nunc eſt in argumenti huius enarratione et reliquis Cl. Marabelli tentaminibus, ſimulque noſtris inde ducendis rationibus

tionibus

tionibus alius tribuendus locus eſt, quem proxima ſcribendi occaſio nobis faciet. In praeſens enim commmendandus

VIR PRAENOBILISSIMVS, DOCTISSIMVS

CAROLVS GOTTLOB STOEHRER

THVERMSDORFIO MISNICVS

MEDICINAE CANDIDATVS,

qui ipſa nobis res ad vitam et ſtudia ſua ſpectantes, more recepto, hac ratione expoſuit:

Ego, Carolvs Gottlob Stoehrer, *Thuermsdorſio-Miſnicus, natus ſum d. 25. Novembr. anni 1768. a patre* Ioanne Christophoro, *murorum arcis Koenigſteinenſis politore, matre vero* Ioanna Dorothea *e gente* Holfeldiana, *quos optimos, et plurimum de me promeritos, parentes viuos adhuc omni pietate veneror. Prima literarum rudimenta poſui ſub* Opitzio, *Ludi magiſtro Stroppenſi; anno vero aetatis decimo tertio, 1781. a Patre, ad Chirurgiam diſcendam traditus ſum Dn.* Droski, *tunc praeſidii Koenigſteinenſis, iam Legionis pedeſtris* de Winkel *chirurgo ſupremo, quo per 4 annos doctore vſus ſum. Tempore tirocinii transacto, per vnum dimidiumque annum lectiones medico-chirurgicas, quae Dresdae habentur, frequentaui et paullo poſt a. 1787. munere Chirurgi militaris in Legione pedeſtri* von der Heyde, *mihi demandato, per ſeptem annos Lipſiae, et Delitzſchii, verſatus ſum. Ex his Dresdae annum integrum conſumſi, vt, more conſueto, ſcholas medico-chirurgicas ibidem adirem. Quo conſilio omnibus, quae in hoc inſtituto medico-chirurgico proponuntur, doctrinis, ductu Virorum Exper. ſtudui; et Therapiam quidem in ſcholis Exper.* Demiani; *Materiam medicam b.* Wagneri *et* Titii; *Anatomiam et Phyſiologiam* Haenelii, *Chirurgiam* Wildii *Chirurgi Exercituum Saxonicorum ſupremi, edidici. Cum laude e legione dimiſſus Dresdae de ſtudiis medicis ulterius excolendis cogitaui. Gratiſſimo animo repeto inſtitutiones obſtetricias Dn.* Weissii, *magiſtri Scholae obſtetriciae, quae Dresdae floret, dexterrimi, neque minori vtilitate adſtiti demonſtrationibus anatomicis et cadauerum diſſectionibus* Dn. Ohle, *Theatri anatomici Dresdani tunc Proſectoris,*

nunc



nunc Chirurgi supremi Legionis pedestris b. *de* Wiedemann. *Ad studia academica hac ratione praeparatus, in Academiam Vitebergensem me contuli, ibique a Magnif.* Hommelio *d. 4. Mens. Maii in numerum ciuium academicorum receptus sum. Ex quo tempore lectionibus et litterariis et medicis Doctorum clarissimorum magno cum fructu intersui. Nimirum logicis Praecl.* M. Rosenhahn, *Ord. Philos. Adiuncti: Historiae naturalis Excell.* Titii, *Phys. Prof. P. O. Therapeuticis Experient.* D. Boehmeri, *Academ. Senioris Venerandi; chemicis, botanicis, pathologicis, et medico-legalibus,* D. Titii. *Quibus Viris omnibus, Praeceptoribus de me meritissimis, maximaque pietate colendis, gratias ago habeoque perpetuas.*

Haud vulgari vero cum diligentia Candidatum Dignissimum ad studia medica incubuisse, nobis, tum per hoc semestre spatium, quo scholas nostras adiit, tum in examine, praeterito mense cum Ipso instituto, optime comprobauit. Precibus igitur Eiusdem humanissimis eo lubentius annuimus, veniamque concedimus, vt dissertationem inauguralem proprio marte conscriptam:

De Paragomphoseos remediis, praesertim forcipis vtilitate,

publice ventilaret, atque hoc specimine sibi honores Licentiati Medicinae pararet. Destinata huic actui disputatorio solenni dies Veneris proxime instans, d. 4. Septembr. quo sub Praesidio Viri Experientissimi, Collegae Aestumatissimi, D. Georgii Rvdolphi Boehmeri, Academiae nostrae Senioris Venerandi, cathedram ascendet. Nihil vero magis in votis habeo, quam vt Vestro, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, Illvstrissimi Comites, Proceres Vtrivsqve Reipvblicae Gravissimi, Vniversitatis Nostrae Cives Generosissimi, Praenobilissimi, fauore, atque frequentia, huius diei festiuitas splendidior reddatur,

P. P. Dom. 13. post Fest. Trinit. 1795.